

versis rebus diversa elementa dominantur, sic utique est & in lapide nostro.

Lapis autem noster, ut dicunt Philosophi, componitur ex corpore & spiritu: Corpora quæ pertinent ad compositionem lapidis, sunt aurum & argentum: & certum est, quod in illis corporibus plus abundat Ignis & Terra quàm aër & aqua, in auro vero dominantur præ cæteris elementis, id continet in se rubedinem, seu citrinitatem, & est in se corpus calidum & siccum, & tamen non nimis calidum, quoniam certum elementum in auro abundans est Terra, quæ est frigida & sicca, & ideo attemperat aurum, aliàs citrinitas auri penitus converteretur in rubedinem, & sic esset corpus frigidum, in se aliquantulum humidum & siccum, quoniam ignis & aqua in argento sunt quasi aquæ portiones, & saltem aqua aliquantulum superabundet ignem: Igitur argentum à Philosophis iudicatur corpus frigidum & humidum esse, etsi aqua in corpore argenti converteretur in citrinitatem, tunc illud corpus esset propinquius naturæ auri, quàm argenti. Insuper visum est, quod in spiritu nostri lapidis dominatur aqua & aër præ cæteris elementis, tamen aqua superabundat aërem, ideo spiritus non potest ex sua propria virtute in ignis asperitate quiescere, quoniam aqua ut satis notum est, semper contrariatur igni.

Ratio, quoniam disconveniunt omnino qualitatibus elementalibus, quia ignis est calidus & siccus, aqua est frigida & humida, & sic patet evidenter, quod duo elementa dominantur in spiritu nostri lapidis, aqua scilicet & aër. Igitur sciant artifices Alchymix, quod impossibile est, ex solo corpore medicinam veram procreare, sine spiritu: & è contrario impossibile est ex solo spiritu medicinam veram procreare, sine corporibus: Ratio est, quia qualitercunque corpus præparatum fuerit, per se non potest propria virtute sibi fluxibilitatem acquirere, nec spiritus per se qualitercunque præparatur, non potest à sua natura alterari, nec perfectè figi, sine intermeditatione corporis, & necesse est, medicinam fore fluxibilem, viventem, tingibilem, manantem: quod nequit omnino esse, vel contingere sine temperantia elementorum.

Et sine dubio illa Temperantia elementorum nunquam contingere videtur absque coniunctione corporis & spiritus

*Corporum g.*

*Huius qualitates*

*Argentii qualitates*

*B.*

*Temperantia a coniunctione spiritus & corporis*